



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Triapostolatus Septemtrionis**

**Caesar, Philipp**

**Coloniæ Agrippinæ, 1642**

3. Quomodo Rimbertus puer à S. Ansgario ascitus, & ad instruendum  
datus sit.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-43650**

lius eius iam dictus HLudouvicus cum fidelibus suis hanc eius intentionem retractans Ansgarium summæ Sanctitatis virum vt pater decreuerat, priuilegij Archi-Episcopalis, & ordine & nomine sublimari, & iam dictæ nouellæ Ecclesiæ rudibusque adhuc in fide populis Rectorem, ac Gentibus vt dictum est necdum fidelibus Erogatorem Verbi diuini fecerat ordinari. Cuius à pueritia in Dei timore conuersationem, vel cum ætatis processu virtutum incrementa, vt quantis indicijs diuinitus præmonstratum sit Pontificatus & prædicationis eius officium, & quomodo per Sedis Apostolicæ priuilegia eius sit omnis causa munita, studiumque eius & profectum in lucrandis Deo animabus, quas vel in fide roborare, vel de paganismo ad Christianitatem producere cotidie satagebat, quisquis scire cupit, legat libellum vitæ eius, & quantæ Sanctitatis vir ipse fuerit perpendet. Nos nunc de eius Sanctitatis imitatore simul & dignitatis successore Rimberto scripturi, qualiter primò ei cognitus sit & consequenter ascitus hinc iam sequi incipiamus.

*Citatus  
liber vitæ  
S. Ansgarij  
& post sapiens.*

## CAPVT III.

*Quomodo Rimbertus puer à S. Ansgario ascitus, & ad instituendum datus sit.*

**C**Um iam dictæ nouiter institutæ Ham-  
maburgensis Ecclesiæ termini essent  
angusti, & ad tantum officium quod Epi-



scopo eius iniunctum diximus, sumtus exiliius pertinentijs collecti non sufficerent, ipsosque etiam qui prouenire possent reditus, frequens hostilis irruptio diriperet, ne per hoc vir Dei impediretur à prædicationis officio, quod in gestis eius Legatio ad Gentes vocari solet, memoratus Imperator HLudovvicus quandam in Gallia cellã, Turholt vocatam, eidem Legationi tradidit perpetuò seruituram. Quodam autem tempore Domnus Pontifex ibidem degens, aspexit quosdam pueros ad Ecclesiam cum ioco & inanibus festinare discursibus: quorum quidam inter ceteros penè minimus grauitè incedens, & pueriles leuitates sollicitè deuitans, orationem cum reuerentia & timore peregit, surgensque signo Crucis frontem muniuit, & quali maturioris esset ætatis suam per omnia continentiam exhibuit. Animaduertit ergo vir Dei sacram religiosi pueri infantiam, diuinæ iam seruitutis amore flagrasse, accitisque ad se parentibus eius, & nomen pueri quòd Rimberty vocaretur, edidicit, & consensu eorum accepto, tonsuram ei & Ecclesiasticum habitum imposuit. Sicque eum ibidem paternã sollicitudinè commendans, studiosè erudire præcepit: paucisque diebus ibi transactis inde discessit, & suscepti Pastoralis officij, suæque ad Gentes Legationis instanter operam egit.

*Pietas &  
laus pueri  
Rimberty.*

CAP.